

arbitrarentur, aliud aliquid Trinitatem esse, quàm P A T R E M, F I L I V M & S P I R I T V M S A N C T V M.

85. Certè Lutherus noster hymnum illum Ecclesiasticum, qui incipit Ô. Lux beata Trinitas, & principalis Unitas &c. non modo ex Ecclesiis nostris non submovit, sed elegantissimè etiam convertit: Der du bist drey in Einigkeit. Et lib. de Concil. & Eccl. expressè fatetur; Necessarias esse hujusmodi voces, quæ licet in Scripturis non extent: ex iisdem tamen possint probari Tom. 7. Ien p. 243.6.

86. Personæ vocabulo nihil Ecclesia significat aliud, quàm quod Scriptura Ἐκκλησία appellat: cuius vocabuli expressa notatio ponitur in Epistola ad Hebr. c. 1, 3.

87. Causam verò, qua Latina Ecclesia fuit mota, ut pro Ἐκκλησία, vocabulo personæ uteretur, præbuerunt certamina primitivæ Ecclesiæ, maximè cum Sabellianis, & Arianis instituta, qui sub Synonymia latinorum vocabulorum, (Essentiæ & substantiæ) latibulum errori suo querentes, Trinitatem interim personarum negabant.

88. Ut ergò fraudes eorum tantò facilius detegerentur, & rectius caverentur, Latina Ecclesia pro tribus hypostasibus, sive subsistentiis, tres dixit personas: Quam cautionem progressu temporis,

poris,